



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 31. Litteræ datæ ad Joannem Jerosolymitanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

§. XXXI.

Sæculum V.
A. C. 416.

Litteræ datæ ad Joannem Jerosolymitanum.

Eadem ferme tempestate cum S. Augu-^{ep. 179. al.}
stinus comperisset, Joannem Jeroso-^{252.}
lymæ Episcopum magno affectu in Pe-
lagium ferri, scripsit ad eum, ut sibi ca-
veret, misitque eundem librum, quem
a Timaso, & Jacobo acceperat, addito
suo responso, rogans Joannem Episco-
pum, ut Pelagium ad explicandam men-
tem suam de necessitate orationis, & de
peccato originali cogeret. Tum subjun-
git: *Rogo te etiam, ut nobis Acta Eccle-*
siastica, quibus absolutus dicitur, trans-
mittere velis. Id a te nomine Episcopo-
rum, qui hanc ob rem juxta me anguntur,
postulo. S. Papa Innocentius etiam ad ^{Aug. de Gest.}
Joannem Jerosolymitanum scripsit, de ^{Pelag. in fine}
facinore Pelagianorum, quorum funesta
cohors homines piissimos in Palæstina
ultima sævicia persecuta fuerat; in San-
ctum Hieronymum, aliosque viros, &
fœminas, Deo devotas, sub ejus Regi-
mine viventes, hostiliter invecti, non
nullos occiderunt, inter quos erat Dia-
conus; Monasteria incensa, & expilata.
Ipse S. Hieronymus vix in turrim muni-
tam evasit. S. Eustochium, & S. Paula,
neptis ejus, Virgines, rebus suis spolia-
tæ, sociis in conspectu earum trucidatis,

Uu 2 æger-

Sæculum V. ægerrime persequentium manus effugerunt. Hæ igitur, sicut & S. Hieronymus de immani ferocia apud S. Innocentium in suis Epistolis querebantur inimicorum tamen neminem nominabant. Hac super re S. Innocentius ad Joannem Jerosolymitanum rescribens dicit; de Auctore tanti sceleris neminem dubitare, ipsius vero Joannis officium fuisse, furiosos cohibere, aut saltem, malo jam perpetrato, afflictis succurrere, & consolari. Monet vero, ut muneri suo satisfaciatur, alioqui secundum leges Ecclesiæ ad reddendam culpabilis indigentiam rationem compellendum. Ad S. Hieronymum quoque Epistolam consolatoriam dedit, dicitque; si quis contra se actionem contra personam certam moverit, Judices se daturum, aut velocius remedio provisurum. Memoria digna est hæc Epistola ad Auctoritatem Papæ per universam Ecclesiam demonstrandam. (*) Credunt, Joannem Jerosolymitanum jam e vivis excessisse, quando

*Innoc. ep. 32.
to. 2. conc.*

Innoc. ep. 33.

(*) Verba Fleurii, Gallice hæc sunt: *Cette lettre est remarquable pour montrer l'Autorité du Pape par toute l'Eglise.* Nunc vero, Anonymus II. dicens in suo Paragrapho secundo, Fleurium SS. Pontifices in ordinem aliorum Episcoporum voluisse deprimere, fidem meretur, aliorum judicium esto!

istæ Epistolæ in Palæstinam pervenerunt; quippe 10. Jan. anno 417. defunctus est. S. Cyrillo successerat, atque Sedem Jerosolymitanam ultra annos triginta tenuit. Successorem habuit Prailern, cujus nomen, quod Græce ^{Sup. Lib. XVIII. §. 36. Theo. V. hist. c. 38.} dulcis dicitur, moribus ejus conveniebat. Is annos ferme tredecim sedit.

§. XXXII.

S. Innocentii Decretalis ad Decentium.

Sanctus Papa Innocentius eodem anno ^{Innoc. ep. I.} 416. Pontificatus sui ultimo, Decretalem celeberrimam dedit ad Decentium Episcopum Eugubiensem in Ducatu Urbinatæ. Initio conqueritur, contemni traditiones, quas Ecclesia Romana a S. Petro Apostolo accepit, *Cum tamen*, inquit: *exploratum sit, neminem Ecclesias in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa, Sicilia, & adjacentibus Insulis fundasse, nisi eos, quos S. Petrus Apostolus, aut e-*

Uu 3 *jus*

Hæc Fleurii verba Protestans corrumpit, dum pro voce l' Autorité du Pape, Auctoritatem Papæ, posuit: parte IV. pag. 224. §. 58. Die Autorität dieses Pabstes. Audacter deinde in adjec-ta Nota mentitur; Episcopos Africæ de hac Auctoritate nihil scivisse. Sed quis ex Protestantibus quoque vir veritatis amans falsario fidem adhibebit?